



**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 54. De officio Iudicis,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](#)

ex altera parte debetur, tandem per estimationem sit in pecuniam resoluendum: tunc enim locus compensationi esse potest per primum documentum ante traditum. Porro locus non est compensationi, si causa ex qua fieri dicitur, non sit liquida, ex lege vtrima, Cod. De compensationibus: nec item elat in deposito, ex eadem lege: nempe is à quo peritur depositum, non potest eo prae-textu illud retinere, quod à depositore aliquid ei debatur; nec etiam locus est, *x ad eam legem in fine iuncta glossa*, quando aliquis condemnatur, vt aliquid reddat alicui, ob vim illatam, vel furtum, aut aliud maleficium. Siue enim res ipsa ablatata, sive estimatione illius, sive quid aliud fuerit in peccatum impositum, non potest fieri compensatione retinendo quid talium pro debito eius cui debet restituatio eorum fieri. Id quod videtur ita statutum inodium delicti commissi; vnde si debitum quoque alterius est et simili maleficio, possit esse locus compensationi inter ipsa similia debita.

*De solutione specialiter sumptuaria, ac de acceptatione.*

S E C T I O N I I I.

635. **T**ERIO dissolutio proposita fieri potest, solutione sumptuaria proprie, nimirum pro exhibitione eius quod debetur, aut alterius rei loco eius, quando vel ipsum summet solui non potest, vel creditor contentus est quid aliud loco eius accipere. Quia definitio occasionem dat nobis dicendi; Quis recte soluat, quid & cui solui debeat; quod fiet paucis. Plura qui voler, videre poterit Molinam disp. 562. & aliquot sequentibus.

Recte igitur soluit, vel ipse debitor, vel qui uis aliis pro ipso, etiam ignorante vel iniuicio, ex lege 5. & 17. Cod. De solutionib. & Infr. Quibus modis tollatur obligatio, in principio. Solui debet vero res quae debetur; aliud autem pro ea, iniuitu creditore non potest: volente vero ac consciente potest, ex lege 10. 16. 17. & 24. cod. tit. excepto tamen in opere casu. Si enim certe summa debitor non habeat unde soluat, potest creditor suo rem quam habet optimam à iudice estimatam, in solutum dare, ex Authentico Hoc nisi. Cod. ibid. Solui præterea debet ipsi creditor, aut cuius alteri cui ipse permiserit, aut mandauerit solui, ex leg. 4. 11. 12. & 19. codem adhuc titulo.

637. Aduerte dari quamdam imaginariam solutionem, quæ felicitate nihil soluitur, & tamen debitorem ab obligatione liberat; acceptatio dicta est, ab acceptu ferendo. Est autem acceptum ferre, idem ac fateri se ab aliquo acceptisse: vnde acceptatio dicitur quædam verborum conceptio quæ creditor à debitore stipulante interrogatus, respondet se (*quasi solutione facta est*) debitum acceptum ferre: & sic debitorem ipsum obligationem libera.

Aduerte præterea, solutione non modo specialiter, sed etiam generaliter sumptuaria, conuenire ut cæfacta, liberi ab obligatione maneat non modo debitor & heredes ipsius, sed etiā pignora ac fiduciiflors, atq; adeo quicunq; alii qui accessoriæ obligantur cum codice principali. Ratio est, quia extinguita principali obligatione, extinguitur quoque manent accessoriæ, prout intelligitur ex leg. 179. ff. De regulis iuriis.

*De alijs modis quibus proposita obligatio dissolatur.*

S E C T I O N I V.

638. **Q**UARTO potest eadem dissolutio fieri interitu rei debiti. Quando enim debetur aliquid determinatum in individuo, vel aliquid determinatorum in individuo, ipsumque per finem debitoris culpa, aut in ora tradendi illud, tunc creditor perit, tanquam domino ad quem pertinet, sive titulo gratioso, vt donatio, commodatio, deposito, sive oneroso, vt emptionis vel venditionis: vnde sit vt debitor liberetur ab onere ipsum restituendi. Quia de re ex instituto cum derelictione in preced. li. 10. tract. 2. in quo traditæ sunt aliquot regulae de cauicandi, & tractatu tertio cap. 16. cum dictum est de memorata mora.

Quinto fieri potest per sententiam iudicis, quæ debitor liberatur ab iubito. Sed aduerte, talem in conscientia habere

tantummodo locum, quando re existente dubia, sine fraude & dolo sui ius quis prosecutus est, pro ipsoq; lata est sententia. Nam si ei consiliteri se debitorum est: immo si idem conflet ei post latam sententiam, antequam debitum sibi adjudicatum prescribat legitimè; per eandem sententiam non liberatur quoad forum conscientiae: quoniam ea non tribuit ius, sed solum declarat ad quem ipsum spectat; solumq; in ipso conscientia foro vim habet, cum res ita se habuerint, ac per illam pronunciacionem est.

Sexto fieri potest titulo legitimæ prescriptionis, iuxta tradita de eadem prescriptione in memorato lib. 10. cap. 10. Imo iuxta legem Is qui, De solutionibus, si quis in solutum det alienum, liberatur à debito, si creditor illud prescribat legitimè.

Ultimo fieri potest tradendo instrumentum debiti, aut illud rumpendo, vel cancellando; nisi creditor probet, viat meo illud tradidisse: vel furto suis ablatum: de ipsius potestate: vel alia ratione, quam animo remittendi debitum, scilicet tradidisse, aut rupisse, aut cancellasse: puta, quia tradidit ad custodiam, vel illud rupit non aduertens esse instrumentum debiti, aut alia de causa: tunc enim remissum debiti non censemur facta. Hac eadem habet Molina de iust. & iure tract. 2. disput. 561. Quibus coniungenda sunt que in eodem libr. 10. cap. 18. & 19. tradidimus de causis escularibus à restitutione.

T R A C T A T U S V L  
T I M V S.

*De publicis officijs ciuilibus.*

**F**RACTATIONI de contractibus ciuilibus adiungitur illa de publicis officijs ciuilibus, tanquam de quasi contractibus initis cum Repub. ad eiusdem bonum statum procurandum, ac conservandum armorum usu; vel exercitio iudiciorum secundum leges: unde quædam ex talibus officijs dicuntur militia armata; & quædam militia togata. Atq; de prioribus tradenda proportione iudicandi de peccatis, quæ in illis obeundis committantur; sufficienter possunt in eligi ex ijs que tradidimus, tractantes de bello in preced. lib. 21. cap. 8. ad 5. præceptum Decalogi. De posterioribus vero nunc agimus: non de omnibus, sed de præcipuis quæ sunt iudicis, Aduocati, Procuratorib; & Notarii officijs. De quibus copiose & elaboratæ Decalogum sub finem Georg. Saturi.

C A P . L I V .

*De officio Indicis.*

S V M M A R I V M .

- 641. *Vt Index licite indicet, potestas in eo requiritur.*
- 642. *Item q; veritas.*
- 643. *Tum vt eruet formam juris in sententia ferenda.*
- 644. *Item q; in modo procedendi, sive via denunciationis.*
- 645. *Sive via accusationis.*
- 646. *Sive via inquisitionis: quæ triplex est, generalis, specialis, & mixta.*
- 647. *Ad generalem non requiritur accusatio, nec infamia praevia.*
- 648. *Modus procedendi via specialis inquisitionis requirit praeviam infamiam.*
- 649. *Requir. t & accusationem, vt procedatur yisque ad punitionem.*
- 650. *An ad eam sine infamia sufficiente iudicia manifesta.*
- 651. *Iudicium aliud ordinarium; aliud extraordinarium, in quo sufficit accusatio sicut a quinque.*
- 652. *Modus procedendi in indicio via inquisitionis mixta.*
- 653. *Intellexi indicij ad eiusdem formam spectans.*
- 654. *Quantitas & qualitas pene ad eamdem formam requiri.*
- 655. *Quatenus lege impositam summus Princeps relaxare potest.*

656. *Quid*

656 Quid incumbat iudici cum lex non determinat pœnam delinquenti infligendam.

657 Scientia & intentio debita ad licite iudicandam requisita in iudice.

658 Puritas lingua & manus ad idem requisita in codeni.

659 Licitum est iudici accipere stipendum, & de iure communis quedam escutentia ac pocula.

660 Quid juris de alijs muneribus.

De potestate & veritate requisita in iudice.

### SECTIO I.

**V**T IUDEX suo officio rite ac sine peccato fungatur in iudicio, multa requiruntur: quorum primum est debita potestas, sic necessaria ad sententiam debite ferendam, ut ea illius defectu sit in invalida (prout docet D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 1. communiter reo: ptus) tanquam lata in aliquem à non suo iudice: que non tenet, ex Cap. At si Clerici, De iudicis: ac tanquam lata à dicente ius extra suum territorium, cui impune non paretur, ex Cap. Ut animarum, De confit. in 6. Sit etiam peccatum mortale, tanquam mendaciū perniciosum, tum Superiori, cuius iurisdictio usurpatur; tum inferiori, qui per eam iniquē cogitur.

Notandum est autem, quadruplicem distingui talem potestatem; ordinariam, delegatā, arbitriam, & accessoriā. Ordinaria est, quæ alicui competit ex dignitate, vel officio proprio, & quam annexa ei de tute, vel cōficietudine præscripta. Delegata vero est, quæ alicui competit ex commissione habentis ordinariam. Quæ commissio nonnunquam generaliter datur ad omnes cauſas & lites; nonnunquam speciaſiter ad aliquam cauſam vel item: aut ad certa loca, vel persona. Arbitriaria autem est, quæ alicui (qui inde vocatur arbitrus aut iudex arbitrius) ab utraq; parte litigante conceditur communis pars am consensu. Accessoria demum est, quam quis habet super aliquem, alterius iurisdictionis quidem, sed qui delictum commiserit in loco sua iurisdictionis. Ea enim de causa potest ibidem & accusari, & damnari, ex lege finali, si. De accusationibus.

Accum saltē harum vna ad valide iudicandum sit necessaria, sequitur mortaliter peccare (iniqua scilicet usurpatione potestatis publicae) eum qui omni carent, sententiam ferre audet, aut si habeat quidem aliquam, non tamē in loco quo, vel in personam in quam fert: per quod incurrit etiam obligationem ad restitutionem dannorum exinde securorum.

**S**ECUNDVM quod requiritur in iudice ad licite fungendum suo officio, est veritas; quam non est necesse talem esse ex parte iudicis; vt iudicium ipsius vero conformetur rei, prout ipsa in se est: sed sufficit ut conformatur eidem, prout allegata probata; est: adeo vt iudex sententiam ferens secundum allegata & probata, quamvis de contrario evidenter habeat per priuaram scientiam, seruet sufficiētem veritatem; neque in eo peccet, iuxta tradita in præcedenti lib. 21. cap. 3. dubio 4. Contra veritatem vero indicans dubium non est, quin mortaliter peccet tanquam perniciose mentiens.

De forma iudicij quam Index obseruare tenetur.

### SECTIO II.

**T**ERTIVM, quod ad idem in eodem requiritur, est ut feruerit formam iudicij; tum in sententia ferenda; tum in modo procedendi; tum in tutela iudicij; tum in quantitate, & qualitate pœnae imponenda; tum demum in vi executionis.

Quod ad sententiam autem ferendam attinet, notandum est in iudice requiri, vt non ferat sententiam prout libuerit, sed prout ex allegatis & probatis cognoscit ferendam esse secundum leges, seu conformiter iuri, argumento Cap. primi de sententiis & re iudicata in 6. Quod si leges nesciat, vel circa eas dubitet, debet adiudicere sibi aſſessorem, cuius consilio regatur, alioquin peccabit grauiſſime. Sic; occurrat casus, de quo nihil sit legē humana constitutum, de eo iudicare debet secundum probabilem Doctorum sententiam: quæ si in

vramque parte inueniatur æquæ probabilis, liberum erit ei sequi quam voluerit, prout traditum est in præcedenti lib. 23. cap. 3. lect. 4. post Greg. à Valent. 2. 2. disput. 5. quæſtio. 7. puncto 4.

Notandum est præterea ex D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 5. debere quidem iudicem in iudicando sequi verba legis humanae, quædā ex eius obſeruatione nihil contingit iuri naturali; vel diuīto poſitivo repugnat; non tamē quando ratione loci, temporis aut perſonæ contingere iniquitas, quæ quidem vitanda efficit iudicando ſequendum æquitatem ac rectitudinem dictam. Cuius doctrinæ prior pars patet; quia si iudex sit inferior, tenetur ſeruare legem tanquam regulam ſibi à ſuperiore ſuo præscriptam. Si superior sit, recta ratio dictat, vt quam pro bono & pace communis tulerit, ipſe quoq; patiatur ad retinendam conformitatem eam, quam conuenit in Republica eſe capitulū cum ſuis membris. Posterior pars etiam patet; quia lex humana quæ non conuenit cum diuina, perinde inepta eſt ad actiones humanae recte dirigendas, ac horologium quod cum Solis motu non conuenit ineptum eſt ad defignandas diei horas.

Quod attinet vero ad modum procedendi; is diſtinguitur in tres quæ vias; denunciationis inquam, accusationis, & inquisitionis. Atq; de denunciatione notandum eſt, quādam eſſe extra iudiciale quæ ad hoc fit Superiori, vt evitetur delictum ab aliquo committendum, vel ut commiſſum non reiteretur, ulteriusve procedat. Quandam vero eſſe iudiciale, eamq; vel priuatam, quæ quis iudicii crimen alienū manifestat, prætēdens recarciri ſibi damnum quod ab eo accepit vel publicam, qua iudicis officiales crimen ei denunciant, vt ex officio procedat ad mulctandum reum poena fiscalis, aut alia arbitria. Notandum eſt præterea de auctoritate iudiciale distingui ab accusatione: primo, quod denunciator iudicialis non tenetur crimen probare testibus, & accusator tencatur: secundo, quod denunciatio iudicialis fit abſq; actione, tanquam manifestatio vera criminis, quā ipſum denunciatur Prælato, vt ex officio id faciat, quod videlicet faciēdum ſecundum ius. Accusatio vero fit delatio criminis cum actione: quā iudex virgetur punire reum, vide licet intelligere modum procedendi viā denunciationis reliquum eſſe arbitrio iudicis: sic tamen vt debeat iuris æquitatem in ferenda sententia ſeruare.

**P**ORRO, vt iudex viā accusationis iuridicè procedat, ac reum interroget, requiruntur indicia manifesta, ſeu quæ ſatis patenter oſtendant crimen & criminis autorem illius: quæ quidem interdum oportet plura eſſe: interdū vero pauciora ſufficiunt pro diuera ratione criminis. Imo interdum potest vnu ſufficere, vt quando ipſum fuerit adeo eſſicax, vt multis & quinqueat iudicis prudentis arbitrio cui id relinquitur ſtatuum. Sufficere quoq; potest ſemiprobaſio ſeu teſtimoniū vniuſi teſtis omni exceptione maioriſ. Si enim ad eam condemnandum ſufficere potest plena probatio conſitens in duorum vel trium teſtimoniis, iuxta illud Matth. 18. 18. vt in ore duorum vel trium teſtimoniū ſtet omne verbum; ad eundem interrogandum (ad quod cum minuſit, minuſit, quiritur) ſufficere poterit vniuſi teſtimoniū. Sed de accusatione plenius cum de accusatore dictum eſt in præced. lib. 24. in prima parte cap. viiiimo.

De eadem forma iudicij quad modum procedendi viā inquisitionis.

### SECTIO III.

**D**E inquisitione notandum eſt, differre à denunciatione & accusatione; quod has facere, ſubditis conueniat; & illam facere; ſue fit delicti, ſue delinqutis, pertineat ad folios Prælatos & iudices: ex officio ſcilicet quo iuſtitia ſubditis adminiſtrare tenentur. Diuidi autem in generalē, ſpecialē, & mixtam. Cuius diuisionis ratio eſt: quod interdū ſic fiat inquisitio, vt nec per ſonam, nec crimen de quo inquiritur, nominetur; prout fit cum Prælati viſitantes ſuam diocesis; aut alij Superiores, prouincias ſibi commiſſas, inquirunt in genere de vita & morib. ſubditorum ſuorū: feruentne leges & ſtatuta loci; ſintne ibi aliqui delinquentes quos penis coercere oporteat? Interdum vero ſic fiat, vt nominati de certa particuliari per ſona inquiratur, certum particu-

647.

lare crimen: vt, An Petrus sit qui perpetratum aliquod homicidium commiserit: Interdum deniq; sic fiat, vt delictum in particulari exprimatur, non item persona: sed in genere tantum inquiratur; vt cum de certo furto facto inquiritur quis illud fecerit vel contra in particulari exprimatur persona, & delictum tantummodo in genere.

ATQ; de modo procedendi viā inquisitionis generalis; notandum est, nec prauiam aliquam infamiam, nec accusationem, aut denunciationē requirere: prout Summarij docent in verbo Inquisitio, vt Angelus n. 1. Sylvestr q. 4. dicto 3. Tabienau. 1. sequunturq; recentiores passim: *Sotus De inf. & iure lib. 5. q. 6. art. 2. con. 1. 5. Nauar. in Enchir. cap. 18. nu. 3. 8. Gregor. à Valent. 2. 2. disp. 5. q. 14. punto 1. & alij.* Probatur, vero, quia talis inquisitio heri debet, non ad requisitionem partis, sed ex officio Superioris, ex quo tenetur bono communī prospicere: & per consequens operam dare, vt occasiones delinquendi eliminantur à community; & delinquentes castigantur in aliorum exemplum, quanquam unq; nullus sit qui id ab ipso postuleret; cum ratio aperte dicit expedit bono communī, ut criminosi corrigantur, neq; suis peruersis morib; vivere finantur. Quia de causa visitationes fieri vtroque iure inculcatur: civili quidem in lege Cōgruit, ff. De officio Praefidis: Canonico vero in Cap. 1. De officio Ordinarij, & in Cap. itēm primo Decensibus in 6. & apertius in Concil. Trident. scilicet 7. De reformat. cap. 7. & 8. vbi iubentur visitari beneficia curata, & Ecclesiae omnes, etiam exemptæ; idque per Episcopum & alios maiores Praelatos, ex præced. scilicet 6. c. 4. De reformatione. Quo autem modo ea fieri debeat, habetur ex sequenti scilicet 2. 4. De reform. cap. 3. Quamq; magna sit in ea rep. testas Episcopi intelligitur ex seq. cap. 10. & ex scilicet 2. 5. Deref. cap. 6. Quatenus vero subditi visitantur teneantur ad ipsius præceptum crimina, aut criminosos reuelare, intelligendum est ex documentis traditis in præced. libr. 9. cap. 3. fact. 6.

DE MODO legitimè procedendi viā specialis inquisitionis notandum est primo, requiri prauiam infamiam. Quod expresse tradunt memorati authores in ijsdem locis: habetur De accusationibus, capit. Cum oporteat, Cap. Inquisitionis, & Capit. Qualiter & quando 2. vbi in confirmationem adfertur quod ex capit. 16. D. Luce, postquam villicus diffamatus est apud dominum de iniqua vilificatione; tunc ab eodem domino vocatus, fit interrogatus; Quid hoc audio de te, &c. Et quod ex capit. 18. Genet. Sodomita non ante destruēti sunt, quam clamor eorum seu infamia criminis ipsorum ascenderit ad celum: iuxta illud ibidem: Descendam, & videbo virum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Hæc enim indicant consentaneum esse vt præcedat infamia, cum in iudicio proceditur viā inquisitionis specialis. De qua autem infamia id intelligi debeat, habes in præcedenti libro 2. numero 40. Tantū adde quod de mente D. Thomæ habet Gregor. à Valent. 2. 2. disp. 5. quæst. 14. punto primo, vers. Quartu. est notandum: eam debere esse cum indicij manifestis, ac talibus ex quibus probabiliter intelligatur veram esse, & dignam qua momentū habeat apud graves & prudentes viros; nec facile possit iudicari eam esse leuitam & disolorum hominum.

NOTANDVM EST secundo, vt ab inquisitione speciali procedatur ad punitionem, requiri vt accusatio præcedat. Pro quo facit illud, 23. quæst. 4. Cap. Si quis potestatem. Iudicis non est sine accusatore damnare; sicut nec Christus Iudam abiecit; hoc est, Christus, quantumvis Iudam furem esse sciret: tamen cum à nemine accusaretur, eum non abiecit. Facit & illud in Cap. 1. De accusationibus. Si legitimus nō fuerit accusator, non fatigetur accusatus. Vnde licet inferre quod iudicii, quantumvis crimen subditu detexerit, atq; sciat esse testes per quos illud sufficiēter probari possit; non licet viā inquisitionis procedere ad eum puniendum, nisi sit qui eum accuset. Id quod tanquam naturali rationi consentaneum in consuetudine fuit apud Gentiles, vt patet ex verbis illis Festi Actor. 25. Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam ei qui accusatur, præsentes habeat accusatores; locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina.] Adde ceteri posse, idem indicatum esse à Domino nostro Ioan. 8. cum interrogat adulteram. Vbi sunt qui

te accusabant? & tanquam relictam sine accusatore condonare recusat.

NOTANDVM est tertio, dubitationem esse; an ad inquisitionem specialem faciendam sola indicia manifesta sufficiant sine infamia? Quam Petrus à Nauarr. in lib. 2. Derestitut. cap. 4. numer. 168. attingens citatis authoribus in veramque partem, sequitur affirmantem. Contrariam vero Gregorius à Valent. loco citato, & ante eum alij, vt *Sotus lib. 5. De inf. & iure quæst. 6. art. 2. conclu. 6. & Nauarr. in Enchir. cap. 18. num. 38.* Cæterum falso meliori iudicio putarim respondendum, id ex determinatione iuris humani totum pendere: quia in eo habenda est ratio boni communis, cui quandiu necessitas exegerit, priuatum seruire debet, alias minime. De qua necessitate iudicare, sicut & eidem prouidere, Principis est: adeo vt decretem ipsius in hac re (nisi abrogatum sit consuudine contraria legitime prescripta) sit habendum pro regulâ. Ipsa enim dum viget, ostendit publicam necessitatem: pro qua priuatim facere aliquam iacturam famæ, non est alienum à ratione: vt nec facere aliorum bonorum. Abrogatum vero, ostendit talen necessitatem abesse: & ideo priuatos, vt in cæteris bonis suis, sic & in fama non esse iactendos authoritatē publicâ: sed potius protegendos, ac in ea conseruandos, cum id conferat ad bonum communem, sicut bona valetudo membrorum ad valetudinem corporis.

Porro Summi Pontificis autoritate in cap. Inquisitionis, §. Tertiæ dubitationis, De accusationibus, constitutum habetur, iudicem non posse inquirere contra aliquem non infamatum, etiam si duos vel tres testes iurati affirment hominem illum de quo specialiter inquisitio facienda propinatur, se videlicibus perpetrasse delictum, vt occidisse, afferrent. Vnde manifestum est, quod cum indicia minus momentum habeant ad probationem, quam tale testimoniū, sicut hoc non est sufficiens sine infamia, ita nec illa esse iure canonico. Cui tamen iuri, quia humanum est, derogari potest contraria consuetudine rationabilis, sicut in hac ipsa re derogatum est, ostendit iudiciorum vñus in multis locis receptus: quo, vt nemini Ludouicu Molina De inf. & iure tomo 3. tractat. 3. disp. 47. numero 2. proceditur ad inquisitionem contra particularem personam, ex sola evidentiā criminis, vt cum inuentum est cadaver in platea, & de aliquo certo dantur in particulari indicia (manifesta quidem, non a mens sufficientia ad plenam probationem) aduersus eum inquiritur sine infamia, clamoribus & infamis: & sic de similibus. In quibus non agitur contra rectam rationem: quia etiā hæc dicitur non esse iactendam alterius famam; id tamen locum non habet, cum bonus Reipublicæ status exigat lecus fieri, quo ea expurgetur, & immunit serueretur à criminibus, ex quibus turbationes & scandalū, ac damnatio nascuntur: quibus obvia ē iudee tenetur ex officio: præterim cum in Capit. 1. §. Nos igitur, De postulatione Praelat. dicatur; iuxta canonicas sanctiones quasdam culpas esse, in quibus culpa est relaxare vindictam.

NOTANDVM est quarto, ex Nauarr. ad Rubricam de iudicis num. 17. & 18. indicia quædam esse ordinaria, & quædam extraordinaria: seu quæ contra communes iuris regulas permituntur: in illisq; requiri accusatorem versi, seu quæcumque alium accuset: in his vero sufficere accusatorem sicutum: hoc est, aliquid quod vice veri accusatoris fungatur quidem, non sit tamen verus accusator: quale censetur quod quis sequentium, quæ Gregor. à Valent. refert 22. disp. 5. quæst. 11. punto 3. in fine, & insinuantur à D. Thoma 2. 2. quæst. 67. art. 3. ad 2.

Primum est, infamia publica cum indicij adeo manifestis vt reus nihil contra objicere possit. Secundum est, notarietas quæ factum & persona ita noscuntur, vt nullo modo celari possint. Tertium est, evidencia quæ Iudex vidit coram se delictum perpetrari, si & alij simul præsentes viderint: tunc enim præfentia ipsius Iudicis fungeretur vice accusatoris, & præfentia aliorum vice testimoniū, sine quibus accusatio non habet locum in iudicio, & ideo non sufficeret solum iudicem vidisse: quādoquidem accusator & testis nequidem simul esse. Quartu est, contumacia, seu rebellio post denunciationē fraternali, id est, facta Superiori emendandi fratis causa. Nam si denunciatus recusat obedire admonitioni &

præce-

præcepto Ecclesiæ, Prælatus potest contra eum procedere via iuridica: eiusmodi rebellione & inobedientia habente viam accusatoris. Quod intellige, dummodo crimen probari posuit testibus: si enim frater admonitus crimen neget, Prælatus non potest ad punitionem eius iuridice procedere, quoniamque occurrat aliquid quod faciat crimen manifestum: aut testes ad finit ad conuinendum eum de delicto à se commisso. Procesus enim iuridicus locum non habet nisi manifesta indicia, aut infamia, aut semiprobatio existat. Quintum est, denunciatio iuridica facta ob commune bonum, & tendens ad punitionem delinquentis perniciosi: quæ etiam fungitur vice accusatoris: nec alter differt ab accusatione, quanquid non requirat, sicut hec, probationem criminis obiecti, sed contenta sit propositione criminis facta iudici; ut meliori quo fieri potuerit modo, occurratur damno communis boni. Id quod permittitur, ut ad denunciandum audatores reddantur, qui alias facile auerterentur metu aliquo suorum incommodorum. Delinquentis autem perniciose nomine, intelligitur maxime is, qui molitur aliquid in perniciem animarum, ut qui dispernit hæresim, aut doceat, vel faciat quibus aperitur via ad flagitosam vitam: aut machinatur mortem Principis: aut molitur proditionem ciuitatis: aut falsificat monetam, & sic de similibus. Videri potest Nauarrus ad Rubricam de iudicis, num. 92. & aliquor sequentibus.

**D E M O D O** procedendi via inquisitionis mixta notandum est, si in ea crimen in particulari exprimatur, & persona in genere (ut quando constat de certo crimen perpetrato, & inquiritur quis perpetravit) ipsam à principio posse fieri sine preua persona infamia vel accusatione, iuxta modum procedendi via inquisitionis generalis: in progressu vero, cum ventum erit ad certam personam, ut procedatur aduersus eam, requiritur prævia infamia, aut manifesta indica, aut semiprobatio, & accusatio; eadem ratione qua cum proceditur via specialis inquisitionis. Si autem in eadem inquisitione mixta exprimatur persona in particulari, & crimen in generali, opus est ab initio prævia infamia, aut indicis manifestis, aut semiprobatione. Neque enim si cadaver hominis occisi inueniatur in agro, licetum est iudici inquirere aduersus Petrum in particulari, tanquam talis homicidij reum, si nulla sit infamia, aut indica, aut semiprobatio, quod illud pfe patrabit.

De tutela, & pane quantitate atque qualitate requisitis ad formam iudicij.

#### S E C T I O IV.

**S V P E R E S T** ut dicamus de exteriis in quibus forma iudicij constituit. Quartum igitur est tutela iudicij, exposcens ut iudex ordinem iuris iuraque ipsa obseruet. Cuius observationis defectu multis modis peccat mortaliter, quos refert Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 13. & 14. nimis iudicando, etiam fratre, sine probatione sufficienti; eo quod vel testes suspecti fuerint, aut iniuste torti, vel ipse non admiserit legitimam probationem, vel non viderit processum falem mediocriter, vel probationem maiorem exegerit quam effet necessaria. Deinde procedendo sine libello aut contestatione, cum fuerit necessarium. Item dilationes necessarias negando, vel concedendo superflue, nec admittendo iustas exceptions, & concedendo iniustas. Præterea interrogando ead que pars respondere non tenetur. *De quibus glosso ad cap. 2. De confessio, verbo Rationabili causa.* Præterea in sententia videntur clausula aliqua obscura, qua condemnatus posuit se aliquando tueri contra iustitiam. Item admittendo appellationem aut recusationem quam non debet: vel cōtra, quam debet non admittendo, & demum differendo sine iusta causa expeditiones iudiciorum.

Adde & criminis confessionem extorquendo per iniuriā, siue facere potest quinque modis, quos refert Leon. Lessius *De iust. & iure, lib. 2. cap. 29. nu. 173.* Ac primo, si à leipo inquisitionem inchoata nulla precedenter infamia, aut denunciatione, quæ eidem inquisitioni viam aperiat. Secundo, si tormentis, vel propinquo metu tormentorum elicit confessionem, quantumvis non essent sufficientia indica ad torquendū. De quibus indiciis idem Lessius in codem cap. dubit. 17. videri potest, & addi ex Nauar. ad Rubricam de in-

diciis num. 53. quod dicitur in hac re de tortura corporis, intelligentendum esse quoque de iuramento, ut de quadam anima tortura. Tertio, si fuerint quidem indicia sufficientia ad torturam; personæ tamen non poterant torqueri ob dignitatem, vel ob ætatem. Quarto, si dolo reum induxit ad confitendum: ut dolose promittere ei impunitatem. Etenim tam iniuriosum est dolo, quam metu dare damni causam. Quinto, si configentem ad locum sacrum abstrahit ab eo. Qua de re videri potest Sylvestris verbo Immutabilitas 3.

**Q V I N T U M**, quod in eadem forma iudicij requiritur, est quantitas & qualitas poenæ; seu (prout habetur Deut. 25.) ut pro mensura peccati sit plagarum modus. De quo pro prætendende sunt sequentes propositiones.

Prima est, nullum iudicem posse absque causa iusta ponam à lege impositam relaxare. Ratio est: tum quia Reipubl. fieret iniuria in non seruando iustas ipsius leges, & in non puniendo delicta: cum oderint peccare mali formidine poenæ; tum quia graue scandalum inde oriretur, atque priuati iniuriam passi inducerentur ad vindicandum se propria autoritate; vnde possent multa damnata sequi in Republ.

Secunda est, si debeatur poena lege statuta ob commune bonum conservacionem pacis ciuitatum; iudicem inferiorē non posse, ne quidem consentiente accusatore, eam mitigare. Ratio est, quod ad ipsum spectet tantum leges Superiorum exequi non item in eis dispensare.

Tertia est, supremum Princeps pro potestate sua plenaria, posse poenam reo condonare, etiam accusatore nolente, si bonum commune ita exigatur. Ratio est: quia accusatio, & condemnatio, re ferriri debent ad bonum communem; ideoque illa huic obstatere non debet, sed postponi: quantumcumque priuatus aliquis in de se fuit detrumentum; cum vilitas priuata postponenda sit communis. Et ita si reus detur valde necessarius Reipubl. Princeps potest poenam mortis ei condonare, quidquid aliqui, quorum interesse potest reclamare. Videri potest Molina *De iust. & iure, tract. 3. tom. 4. disput. 48.*

Quarta propositione est, quando poena debita fuerit solum ob priuatum bonum accusatoris habetis ius, ut reus puniatur ratione iniuria sibi illata; ne quidem Princeps supremum posse eas relaxare, accusatore ipso renuente, nisi bonum commune tale quid fieri exigatur. Ratio est, quia cum iudex custos sit, & minister iustitiae, teneatur sic inter partes dicere ius, ut suum cuique reddat.

Quinta est, consentiente accusatore cuius interest, supremum Princeps posse relaxare reo poenam lege impositam. Inferiorē autem iudicem non posse. Ratio est, quod ille dispensare possit in lege, hic non item. Vnde post Sotum in 5. *De iust. & iure, quæst. 4. art. 4. ad 1. merito monet Gregor. à Valent. 2. 2. disp. 5. quæst. 11. in fine, periculorum quandogli esse pro reis intercedere; quia nonnullum fieri potest, ut illicita poenæ relaxatio petatur.*

Sexta propositione est, quando leges poenas infligendas delinquentibus non determinant, sed relinquunt prudentiam, arbitriog; iudicium, hos debere ad manuetudinem potius, & misericordiam, quam ad seueritatem, & rigorem inclinare. Probatur per illud in Cap. Alligant. 26. quæst. 7. Melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem. Vnde gloria ibidem inferit id ipsum quod diciimus. Pro quo facit etiam quod in dubio præferatur sententia inclinans in rei favorem, exceptis casibus matrimoniij, libertatis, dotis & testamenti, ex Cap. finali, Defententia, & re iudicata. Facit & regula iuriis in 6. Cum sunt partitioni iura obscura, reo fauendum est potius, quam actori. Immo, ut patet ex communī iuri, iudex potest ex rationabili causa, præfertim parte lafa consentiente, poenam meritam, ac condignam mitigare in leuioribus criminibus, ut in homicidio commissio casu, et nonnulla culpabilis inaduerteret; in furto non adeo magni valoris, & similibus. In criminibus autem maioribus, præfertim atrocioribus (quæ sunt homicidium ex iustitia, aut per sciam, aut assagnum, depravatio iter agentum, sive terra, sive mari, aliisque non abiliter nocuia in Republ.) nullus iudex potest poenam condignam mitigate, etiam parte consentiente; quoniam id fieret contra commune bonum, quod per talia graue lœditur; ideoque Respu-

654.

655.

656.

blica tali mitigationi reclamare censemetur, ne in ea foveatur animus, & audacia talia committendi. Ad quod facit illud Deut. 12, de idolatria punienda: Non parcat ei oculus tuus, ut miseriaris, & occultere eum: sed statim interficies, &c. vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam ultra faciat quidam huius simile.

## De ceteris que in Iudice requiruntur.

## SECTIO V.

657.

**Q**UARTVM quod in Iudice requiritur ad debite licitem iudicandum, est scientia, prout confirmatur: tum per illud in Cap. Non est prima, quæst. 1. in fine. Quilquis Sacerdotium, non ad elationem pompam, sed ad vultitatem adipisci desiderat, prius viras suas cum eo quod est subiturus onere metietur: vt si est impar, ablineat; & ad id cum metu etiam, cui se sufficere existimat, accedat: tum per illud D. Thomæ 1.2, quæst. 7.6. art. 2. Vnusquis; ea scire tenetur, sine quorum scientia non potest debitum actum recte exercere. Vnde omnes tenentur communiter scire ea quæ ad ipsorum statum & officium spectant: tum demum per illud D. Antonini 2. part. tit. 3. cap. 6. versus medium. Videtur pro regula summi illud: quod quicunque ponit se ad aliquid exercitium publicum, ex quo potest alii notablem damnum sequi verosimiliter, in persona & in rebus, propter magnam ignorantiam illius circaidem exercitium: quod inquam peccet mortaliter. **A**dde, & quod teneatur ad restitutionem damnum inde secutorum, argumento Cap. fin. De iniuriis, & damno dato.

**Q**VINTVM, quod ad idem in eodem requiritur, est debita intentio: ita vt Iudex ad sententiam ferendam non procedat ex odio, aut alia mala passione, sed potius ex amore, affectu & iustitia. Cuius conditionis defectu, peccatum committi in iudicando, dubium non est. Tale erit vero, qualis fuerit affectus ille praus quo Iudex mouebitur ad iudicandum. Sic Iudex per iniuriam occidens aliquem vere probatum latronem, peccato iniurias contra charitatem peccasse dicitur: non autem peccato homicidij contra iustitiam, quia ius habuit occidendi. Ceterum amor ille iustitiae requirit, vt nihil contra eandem faciat; sed cuique tribuat quod suum est, secundum merita sententiam ferat, secusq; faciens grauiter peccat peccato peruerit & iniqui iudicij, ex D. Thoma 2. 2. quæst. 6. art. 2.

658.

**S**EXTVM est, puritas lingua, & manus, qua abstineat, & à verbis iniuriosis, ac contumeliosis, & à verberibus itidem iniuriosis, atque à concusione: quæ tunc ab ipso committitur cum aliqui committantur, nisi hoc vel illud des, aut facias, illud faciam, aut non faciam: adeo vt sententiam faciat venalem, dando eam, quam alias non datus erat, aut non dando, quam alias datus erat: aut etiam differendo, quam non erat dilatatus, vel contra non differendo, quam erat dilatatus. Aduersus quam nequitiam autoritates sunt expressæ sacrarum literarum, & sacerdorum Canonum. Sic enim Iudicibus dicitur Deut. 16. Non accipies personam, nec munera; quia munera excancant, & mutant verba iustorum. Iuste quod iustum est persequens. Et Ecclesiast. 2. o. Xenia, & dona excancant oculos Iudicium, & quasi mutus in ore, auertit correptiones eorum. Præterea in Cap. Non licet, n. q. 3. habetur ex D. August. ad Macedonium. Non licet Iudici vendere iustum iudicium: et si licet Aduocato vendere iustum patrocinium, & iurisconsulto rectum consilium. Et in præcedenti Cap. Qui recte, habetur ex D. Gregorio; Qui recte iudicat, & præmium remuneracionis expectat, fraudem in Deum perpetrata: quia iustitia quam gratis imperiti debuit, acceptio ne pecunia vendidit, &c. Præterea expressis verbis habetur in Cap. Cum ab omni, De vita & honestate Clericor. quod nec iustum iudicium Iudici vendere licet, & venales sententiae ab ipsis etiam secularibus legibus reprehenduntur.

659.

**Q**YX tamen non obstante quin licitum sit Iudicibus, siue Ecclesiasticis, siue laicis, aliquid loco stipendij accipere, ratione officij, pro obligatione, qua se adstringunt ad illud exercendum; talis enim obligatio est quid pecunia estimabile, etiam si exercitium quo ea impletur, puto sententia prolatio, non sit vendibilis. Cum autem à lege, vel conuentione stipendium certum fuerit determinatum, nihil amplius

potest à litigantibus accipi: quia indebitum acciperetur, caretque contra iustitiam communitati, cum obligatione ad restitutionem. Videnda sunt dicta in prædict. lib. 10. cap. 11.

Nec item prædicta obstante quin cuius Iudici, tam Ecclesiastico, quam laico, & tam ordinario, quam delegato sit licet accipere esculenta, & poculenta, quæ intra paucos dies confundi solent, nisi lege particulari id fuerit alicubi prohibutum. Nam id permititur iure Canonico in Cap. Statutum, §. Infusper, De rescriptis 6. & ciuili iure communis, in lege Solent, De officio Proconsulis, & in lege Plebis, De officio Praefidis. Notantque Angelus in verbo Iudicis, §. 8. Sylvest. codem verbo 1. quæst. 8. dicto 2. Tabensis eodem quoque verbo, num. 7. & Caetan. verbo Iudicis peccata, in fine.

Oportet autem ea esse moderata, & quæ soleant consumi paucis diebus; quorum numerus cum non sit designatus, arbitrio prudenter relietus est designandus, ex glossa ad cit. Cap. Statutum, verbo Paucis. Ac de duobus recte intelligi cerum est, nec de pluribus est facienda interpretatio, nisi bene ponderatis circumstantiis, personarum praesertim, ex glossa eadem. Addo, debere dari ex mera liberalitate, nec villo modo, siue directe, siue indirecte extorta esse.

Alia autem munera accipi non posse, quoad Iudices Ecclesiasticos, habetur ex Cap. Cum ab omni, De vita & honestate Cleric. In quo licet ex preffa mentio sit tantum de Iudice delegato; ad ordinarium tamen extendi, ratio quæ ibidem redditus, satis ostendit: nimur quod is sit beneficiatus; atque is cui datur beneficium cum iurisdictione, teneatur ius subditis reddere gratis, quand oquidem ab illis accipiens stipendium (cum aliunde sufficiat habeat) inique agere. Hæc enim ratio perinde, ac etiam magis locum habet in ordinario, cuius beneficio de iure communis annexa est iurisdictioni, quam in delegato illo, de quo expresa mentio fit in memoriato Cap. Cum ab omni.

Quoad Iudices autem laicos, considerandum videtur, quid leges loci statuant, aut ferat consuetudo rationabilis, & tolerata à Princeps, qui possit eam tollere si velit. Tolerata vero censeri potest, cum Princeps eam sciens non reprobat puniendo, aut contrarium precipiendo. Ut autem censetur rationabilis, munera debent esse moderata secundum arbitrium prudentium, timororumque virorum. Quæ eadem ratio est iudicandi vtrum licite à Iudice accipiantur expensæ, quas fecit in victualibus, vestura, aliisq; similib; cum ad exercitium suum munus proficiunt extra domum suam. De ipsis que recipiuntur à Iudicibus ratione sui officij, qui volunt, poterit videre Summlarios in verbo Iudicis, & præcipue Angulum, à num. 8. ad 20. Sylvestrum in 1. quæst. 8. 9. & 10. Tabienf. à num. 7. ad 20. ac Caet. in verbo Iudicis peccata: itemq; D. Anton. 3. par. tit. 9. cap. 2. §. 8. & 9. ac Gabriel. in 4. dict. 15. quæst. 6. art. 2. litera F. & G.

## CAPVT LV.

## De officio Aduocati.

## SUMMARIUM.

- 661 Laudabile est officium Aduocati, & conditiones requisite ad ipsum licite exercendum.  
 662 Illi non permittuntur Aduocati officio fungi, qui funguntur munere iudicis, nec ij qui ad id sunt impotentes, siue interiori, siue exteriori impotentia.  
 663 Qui non permittuntur ob indecentiam: ac primo de religiosis.  
 664 De Clericis qui initiati sunt maioribus ordinibus, aut habent beneficium Ecclesiasticum.  
 665 De aliis Clericis.  
 666 Ratio indicandi, peccente mortaliter qui presumunt usurpare officium Aduocati, à quo excluduntur.  
 667 Scientia requisite in Aduocato:  
 668 Obligatio restituendi que Aduocato incumbit, si per suam imperitiam perdat causam.  
 669 A quibus cauere debet Aduocatus, sufficiente scientia instruens; & ad quam diligentiam renatur.  
 670 Ea in quibus Aduocati fideliter consistit.

671. Adu-